

Scientem errare peccatum est. Nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci. Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus. Sed audiamus Innocentium primum <sup>a</sup> de consuetudine scribentem, qua ducti Præsules Africani Romanam sedem de rebus omnibus alicujus momenti consulere, ab eaque responsa expectarent. Neque enim, inquit scribens ad Patres Concilii Milevitani, hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes, quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Cœpiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris authorem, referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse. Audiamus & Patres Concilii Milevitani <sup>b</sup>, id honoris subjectionisque Innocentio deferentes, cum post condemnationem Pelagii in Oriente, de excommunicatione Cælestii ejus discipuli actum est in Africa. Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cum proculdubio te ita permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius serpent, multosque contaminent, vel potius interimant, dum sub nomine Christi à gratia Christi penitus alienant, omnino dissimulare non possis. Et infra. Sed arbitramur, adjuvante misericordia Domini Dei nostri Jesu Christi, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuæ de Sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos, qui tam perversa & perniciose sentiunt esse cessuros: ut de correctione potius eorum congratulemur, quam contristemur interitu.

<sup>a</sup> Ex Rescripto Innoc. P. ad Concil. Milevit.

<sup>b</sup> Ex Rescripto Concil. Milevit. ad Innoc.

Pontificem Romanum ut cæterorum Antistitum Principem colebat suspiciebatque Divus Augustinus <sup>c</sup>, cum de Cæciliano Carthaginensi injustè de-  
posito, hæc ait: Erat etiam Carthago transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis: unde non mediocris utique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolica Cathedra viguit principatus, & cæteris terris, unde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere. Nec minus notatū dignum est, quod addit alia Epistola <sup>d</sup> ad Cælestinum, de Antonio Fussalensi, circa sententias à Ro-  
mana sede in appellationibus Africanis datas. Existat exemplo, ipsa sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam, nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos, &c. Sed nec quidquam decernere voluerunt, inconsulto Siricio Papa, & Simpliciano Mediolanensi tanquam ipsi proximè in Conciliis assidenti, Episcopi Concilii tertii Carthaginensis <sup>e</sup>, de parvulis qui apud Donatistas baptizati, postea salubri proposito ad Ecclesiam Dei convertebantur, num parentum error illos deberet impedire, quo minus promoverentur sacri altaris ministri. Unde nulli dubium esse potest, quin prisca sæculis Africa subjecta fuerit Romanæ sedi, & ex Patriarchatu Occidentis.

<sup>c</sup> Aug. Ep. 162.

<sup>d</sup> Aug. Ep. 261.

<sup>e</sup> Conc. Carthag. 3. Can. 48.

Scio equidem prohibitum esse à Patribus <sup>1</sup> Concilii Milevitani II. ne Clerici inferiores ad Romanam sedem appellarent, hocce Decreto <sup>f</sup>: Item placuit, f  
ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici, in causis quas habuerint, si de  
judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant: & inter eos  
quicquid est finiant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab  
eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primate  
provinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo  
intra Africam ad communionem suscipiatur. Scio & eandem mentem fuisse Patrum  
<sup>2</sup> Concilii Carthaginensis sexti celebrati tempore Zosimi, Bonifacii, & Cælestini

<sup>f</sup> Concil. Milevit. Can. 22.

## NOTE LUCÆ HOLSTENII.

<sup>1</sup> Concilii Milevit. &c. ] Est Concilii Carthaginensis sub Aurelio Episcopo anno 418. habiti, ca-

<sup>2</sup> Concil. Carth. VI. celebrati tempore Zosimi, Bonifacii, & Cælestini ] sunt diversa Concilia.